

dens, imposuit illi miserum illum, qui præ languore et vulneribus incedere non poterat. Itaque quid difficile, quid asperum, quid durum in hoc mundo, quod Christus non sit expertus? Paupertas? At ipse in stabulo eoque alieno natus, diversorium non habuit, paupere ædícula educatus, ope aliena et eleemosynis piorum sustentatus, neque locum, neque suppellectilem, nec ubi caput reclinaret, sepulcrum etiam alienum habuit, pauperes insuper discipulos. Castitas? At ipse de castissima virgine natus, virginitatem perfectissime servavit. Obedientia? At ipse subdidit se parentibus, principibus legi veteri, et Patri usque ad mortem crucis. Humilitas? At ipse humiles parentes elegit, per triginta annos gloriam suam occultavit, post remissum locum inter latrones et contemptissimum supplicium subiit. Oratio? At ipse crebro pernoctavit in oratione locis solitariis, præterquam quod mens ejus in contemplatione perpetuo defixa erat. Zelus domus Dei et salutis animarum? At ipse nonne flagello ejecit mercatores e templo? Nonne per aspera et adversa quæque quæsivit animarum salutem, die nocteque? Patientia? Et quid est ejus passio, nisi mera patientia? Mansuetudo et inimicorum dilectio? At ipse pro inimicis passus est et oravit in cruce, Malchum salvavit, Judam toleravit, pavit, lavit amicum, sanavit: injurias discipulorum post resurrectionem oblivioni tradidit. Taceo exempla alia virtutum cæterarum, modestiæ, gravitatis, sobrietatis, castigationis corporis, vigilantia, circumspersionis et prudentiæ, benignitatis, affabilitatis, misericordiæ, commiserationis aliarumque, quibus per omnia perfectissime doctrinæ suæ correspondit. Atqui nemo nescit, quantam habeat vim ad persuadendum, exemplum magni præsertim ducis. Pudit militem Xenophontis paulo ante dictum, equo vehi et videre dominum suum pedibus incedere: pudit milites Alexandri Magni non sequi ducem suum per aspera viarum præeuntem, pudeat nos Christianos, non sequi ducem nostrum.

Quod si modum consideremus, crescit hoc beneficium. Non enim præivit nobis Christus, quomodo angelus ille in columna nobis Hebræos per desertum: sed cum labore, fatigatione, doloribus, etc. Ideo enim tot et tanta passus est, ut relinqueret nobis exempla plurimarum virtutum. Neque enim ad solvendum pretium redemptionis nostræ tot et tam diuturnis laboribus et cruciatibus opus erat: una enim precatio, una sanguinis gutta sufficiebat ad abluenda totius mundi peccata. Voluit quidem Dominus ut copiosa esset nostra redemptio, ratio tamen exempli videtur potissimum ab eo expectata fuisse, ut passim indi-

cat Scriptura, I. Pet. II. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus: et cap. IV. Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini: et Matth. XX. Potestis bibere, quem ego bibiturus sum?* Ita alia virtutes, humilitas, obedientia, jejunium, dilectio inimicorum, vigilantia, compassio, paupertas, zelus gloriæ Dei magno ipsum constiterunt. Quanta enim res est Deum pati contemptum, paupertatem, famem, sitim, directionem superioris, injurias inimicorum, etc.

III. Indigebamus redemptore, qui liberaret nos jugo dæmonis, peccati et mortis æternæ. Talem etiam se nobis exhibuit Christus adeoque nobis vita fuit. Nam imprimis, cepit Leviathan illum, quem olim sancti patres desiderabant capi: *Quando capies Leviathan hamo et fune ligabis linguam ejus.* Deinde, projecit in profundum maris omnia peccata nostra, ut velut Pharaonis currus in mari rubro sanguinis sui submersit, peccata, inquam, quæ suo pte pondere nos ad inferni barathrum in momento traxissent, non minus quam Luciferum; nisi ejus pondus Deus inhibuisset, et Christus omnino abstulisset. Paravit etiam nobis balneum penitentia perpetuum ad abluenda peccata, aliaque sacramenta ad gratiam comparandam.

Quæ cum sint maxima, longe majora fient, si modus consideretur, quo nos liberavit. Non enim redemit nos pecunia aut re alia externa: sed maximis suis laboribus, incommodis, cruciatibus, ipsa denique morte. Nam primo, acceptavit reatum nostrum et transtulit in dorsum suum, velut si reus esset omnium illorum peccatorum, quæ commissa sunt et committentur in universo mundo. Cogitate quantum confunderetur filius regis, si foetidissima et foetidissima vestis, sanguine et pute aspera, vermiculis plena, et mille assutaris deformata tenerrimo ejus corpori induceretur, sicque coram patre suo sisteretur? Atqui ad hunc modum suscepit in se peccata nostra Dei Filius, et ita coram Patre suo comparuit: *Factus pro nobis maledictum*, ut ait apost. Unde delicta nostra sua vocat, Psal. XXI. *Longe a salute mea verba delictorum meorum*, id est, accusatio peccatorum meorum prohibet me salvari: item Psal. XXXIX. et LXVIII. Neque solum statum et personam rei in se suscepit, sed etiam mortem et penas acerrimas totumque satisfactionis onus, dolorem propterea de peccatis illis, ac denique satisfactionem externam.

Quæ cum ita sint, quomodo non merito reprehendendi sumus, si post tantum beneficium adhuc perditæ vivamus, et sanguinem testamenti pedibus conculcemus? Annon satis esse nobis

debet, quod semel nos redemerit Christus? Quid non pollicentur captivi, ut vel prima tantum vice demittantur liberi? Promittunt se in æternum non redituros, seu flagitia perpetrata repetituros: devovent capita sua, litteris aut verbis conceptis, ut si redierint, mox plectantur ultimo supplicio. Quid non facerent dæmones vel damnati, si vel semel restituerentur in statum viæ? Vidimus alibi dæmonem dixisse, se repturum in columna per cultros acutissimos usque ad cælum, si vel unico obtutu videre Deum posset. Quare quod Dominus dixit paralytico, Joan. V. id nobis etiam dictum existimemus: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

Atque hæc sunt illa tria, de quibus paulo post, in eodem sermone habito in cæna ultima, Joan. VI. dixit: *Cum venerit ille, Paraclitus, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* De peccato, quia non crediderunt docenti viam veritatis: de justitia quia Christus ad Patrem vadit, hoc est, quia cum sanctissimam vitam duxerit, ob quam ad Patrem vadit sessurus ad dexteram ejus, non excitantur tamen ejus exemplo ad eandem viam ineundam: de judicio, quia mediante passione sua principem hujus mundi dæmonem jam judicavit, et ab imperio suo dejecit, adeoque genus humanum ab ejus potestate, peccato et morte redemit. De primo arguet eos veritas, de secundo via, de tertio vita. Nos ergo, auditores, ne a Spiritu sancto de his aliquando arguamur, audiamus veritatem, sequamur viam, amemus vitam.

## CONCIO V.

ARGUMENTA FIDEI CATHOLICÆ NUNC MAJORA QUAM OLIM.

- I. Antiquitas Ecclesiæ. — II. Pontificum successio. — III. Victoria Ecclesiæ contra hæreses et tyrannos. — IV. Incrementum. — V. Fructus.

## THEMA.

*Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me.* Joan. XIV.

Judicate, auditores, annon indignum facinus sit, quod dicturus sum. Erat par conjugum nobile, dives, fidelissimum, honestissimum et laudatissimum. Vixerunt autem simul per annos circiter octoginta in summa tranquillitate et amore. Filios etiam genuerunt et filias complures. Tandem ubi ad multam ætatem pervenerunt, cœperunt liberi inolescere et degenerare, vitia

sectari. Arguuntur ergo subinde ab optimis parentibus. Sed illi correctionis et disciplina impatientes, ejecerunt suos parentes e proprio domicilio, ipsi interim pro libitu suo vixerunt. Post aliquod tempus redeunt parentes, et recipi in domum suam postulant a liberis, sed hi negant se eos nosse, asserunt eos nequaquam esse suos parentes ideoque in ædes non admittunt. Quare circumveant isti domum et clamant ad suos liberos: *Itane nos non agnoscitis, tanto tempore vos aluimus, vobiscum vivimus, et nunc in senio nostro cognoscere vos non vultis*, sed frustra: imo conviciis aggrediuntur eos liberi; patrem vocant adulterum, matrem meretricem, et sic eos a se abigunt. Quid, vos ad hæc auditores? Nonne mecum dicitis ad hos filios: Genimina viperarum, filii Belial, filii scelerati, semen nequam, semen Chanaan. Sed quinam hi parentes, quinam filii putatis? Paucis verbis: Parentes sunt Christus et sponsa ejus Ecclesia, qui in Germania nostra educarunt plurimos liberos: inter alios vero multos rebelles, id est, hæreticos, qui impatientes disciplina, ejecerunt e suis ædibus Christum et Ecclesiam. Ex eo tempore quærunt reditum isti conjuges. Sed audiunt illud: *Non novi vos.* At respondet Christus: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me.* Tamdiu ego vos in fide catholica educavi et nutrivit; et nunc iterum per vicinos catholicos, eorum conciones, et libros toties vos moneo, ut me agnoscatis patrem vestrum et recipiatis: et necdum vultis agnoscere? Frustra. Clamant Christum esse adulterum, qui aliquando deseruerit suam Ecclesiam; Ecclesiam esse meretricem, quæ erraverit, et a Christo aliquando defecerit, etc. Quid de his dicemus? Sed forsitan agnoscent parentes suos, si demonstramus eis indicia et symbola eorum.

I. Considera Ecclesiæ catholicæ antiquitatem, quanto tempore constiterit immota et immutata, videbis stetisse ad annos mille et sexcentos, adeoque omnes aliarum sectarum ætates multis sæculis superasse. Id enim docet nomen catholicorum, quo semper nos vocati fuimus, et vocamur etiamnum; maxime ubi catholici et hæretici simul habitant. Quærenti enim templum catholicum, nemo ostendet fanum Lutheranum. Secundo, quia nunquam ostendet, quo tempore, loco, auctore cœperit Ecclesia nostra, præterquam ab ipso Christo ejusque vicario Petro. Tertio, quia omnes hæresiarchæ et hæretici ab Ecclesia nostra discesserunt, ergo illa prior et antiquior fuit. Denique, ostendet omnis generis monumenta, foundationes, Ecclesiæ calendaria, ipsa lingua nostra Germanica, catholicam religionem ab eo tempore, quo Germaniæ invecta est, in primis

voces quæ ad sacraspectant, *Fronleichnam*, id est, *Wahrleicham*: *Meess* unde nundinæ dicuntur *die Nees*, quia ad encæniam patrocina sanctorum confluxerat populus, et ob confluum populi una mercatores: *Wandlung* consecratio: *Opfer* id est, oblatio: *Oblat*, id est, hostia: *Kirck*, id est, domus scilicet domus.

Secundo, nomina clericos concernentia, *Priester*, id est, presbyter: *Pfaff* a papa, id est, pater: *Bischoff*, id est, episcopus: *Pabst* id est, papa: *Munch*, id est, monachus: *Munster*, id est, monasteria: *Kloster*, id est, claustra: *Abt*, id est, abbas: unde et nomina locorum, *Bischoffheim*, monasterium. Inspice litteras et monumenta vetera nusquam invenies, *Predighaus*, *Anzeigung*, etc. superintendent. *Diener am Wort*: qui locus unquam vocatus, *Predighausseim*.

Tertio, nomina festorum Ecclesiæ, *Kirchwegh*, *Lichtmees*, *Ascher* etc. Nomina item sanctorum fastis inserta, civitatibus, oppidis et pagis tributa aliæque innumera, sine quibus loqui nescirent hæretici, cum interim ab his hæreseos et defectionis arguantur.

Jam ergo quis dubitabit illi Ecclesiæ adherere, quæ omnium antiquissima est, et a Christo primo institutore ad nos usque derivata? Origenes tot et tanta scripturus de veritate non alia de causa sub Zephyrino papa Romam se contulit, nisi ut Ecclesiam plane antiquissimam inviseret, ut scribit Euseb. Cæsar. lib. VI. cap. XII. hist. eccles. Et tamen tunc vix adhuc ducentos annos duraverat Ecclesia. Quanto majorem auctoritatem nunc habere debet, postquam sedecim sæcula complevit et perduravit? De Moyse dicitur, Deut. centum et cum viginti annorum esset mortuus: *Non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt*. Idem de Ecclesia catholica dici potest eaque unica quia in nullo fidei articulo decepta est, nec aliam doctrinam tradidit. Si enim illa erravit, quæro ubi tunc fuerit vera Ecclesia? Quæ autem hæresis non brevi caligavit et dentes perdidit? Quod si antiquissimæ nostræ Ecclesiæ fidem non habes, quomodo habes Lutheranæ aut Calvinianæ, quæ vix unum attingere sæculum, et tamen jam caligine involvi incipiunt, dentesque ad sui defensionem perdere. Quid facient hæretici, si tot annis hæresis eorum stetisset? Si enim primum jubilæum, ante paucos annos tanta solemnitate celebrarunt, quid facerent si millenaria foret? Dicite ergo Lutherani, dicite Calvinicolæ, vestra synagoga quomodo adhærebimus, quæ tam sero prodiit? Quid enim fieri oportuit illis, qui ante vos fuerunt, quorsum se recipere ad Ecclesiam debuerunt, quæ nullibi tunc extitit, si vestra vera fuit?

II. Considera summorum pontificum continuam successionem usque ad nostra tempora, Certe S. Irenæus martyr plenissimam asserit fidei ostensionem esse, successionem continuam pontificum tredecim usque ad Eleutherium sui temporis, I. III. adversus hæreses. Similiter Optatus Milevitanus, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus triumphant in successione pontificum, usque ad sua tempora, scilicet annum 460. pontificum vero ad summum quadraginta. Quid scripsisset, si ad hæc nostra tempora seriem illam protensam viderent? « Tenet me in Ecclesia catholica, ait August. cap. IV. cont. epi. fundata ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem suam Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum, successio sacerdotum, » quo tempore nondum erant ultra quadraginta pontifices Romani: quanto magis nos teneat nunc successio ducenta triginta octo pontificum? Annon longe clarior est nunc Christi de Ecclesia et sede Petri prædictio, quam tunc? Præsertim si hæc tanta series comparetur cum novatoribus, qui nullam prorsus successionem allegare possunt? Cui enim successit Lutherus et Calvinus, in ea, quam docuere doctrina?

Corruerunt sedes aliæ patriarchales, cessavit in Augustulo Romanum imperium occidentale, cessavit et orientale: cur sedes ista non cessavit præsertim cum sæpius eversa sit Roma a barbaris et hæreticis, et in eorum potestate fuerit? Aliquot etiam imperatores catholicos hostes habuit hæc sedes, et tamen conservata est; nimirum mira Dei potentia et providentia, quia christianæ Ecclesiæ plurimum intererat, habere unum caput aspectabile et pastorem summum.

III. Considera Ecclesiæ nostræ victorias, quas obtinuit contra hæreses et tyrannos. Etenim primo, impugnabatur sævissime a duodecim circiter monarchis, qui eam omni conatu penitus excindere conati sunt. Sed tantum abest ut deleta sit, ut potius inde maximopere aucta, et sanguis martyrum factus sit semen Christianorum, ut dixit Tertullianus. Successere deinde hæretici alii et alii pene innumeri, a quorum parte steterunt aliqui imperatores, qui mutatis vocibus Ecclesiam infestarent, et miris modis exagitarunt, ac nullo unquam tempore quiescere permiserunt. Et horum tamen omnium ictus non modo sustinuit et excussit; sed etiam præclarissimas victorias de singulis obtinuit. Hæreses corruerunt, et cornua sua in Ecclesiam arietando excusserunt, Ecclesia stat et floret. Quis autem nunc non majorem fidem habeat Ecclesiæ, quæ toties tentata, semper immota constitit, et prædictionem Christi verissimam comprobavit: *Portæ inferi non prævalent*

adversus eam. « Dubitamus nos, inquit August. I. de utilitate credendi, ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per successionem episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit? » Et nos dubitamus eam Ecclesiam de face Lutheranorum non triumphaturam, quæ plusquam de centum hæreticorum exercitibus triumphavit? Quis non secure reciperet se in castellum, quod innumeris obsidionibus pressum, nunquam tamen expugnari potuit? Talem esse Ecclesiam nostram nunc luce clarius est.

Quid vero qui probato illo lapide relicto confugiunt ad foveas hæreticorum? Quas, quæso, persecutiones tyrannorum, quos adversarios illi adhuc experti sunt? Supte fragilitate perierunt, nec gladio eguerunt. Denique, dogmata eorum primo, quoque Concilio habito damnata sunt, inde mox corruere cœperunt. Quod sane etiam continget nostris hæreticis qui dogmata jam olim damnata et sepulta, ex inferis eruerunt, ut mirum sit quomodo necdum cognoscant Christum, qui jam dudum eorum dogmata reprobavit.

IV. Considera Ecclesiæ incrementum, quæ totum pervasit orbem, et ex parvo lapide facta est mons ille magnus, Dan. II. et Isa. II. de quo S. Augustinus, in Joan. tract. II. ait: *Quid amplius dicam, quam cæcos, qui tam magnum montem non vident?* Quæ autem secta ostendi potest, quæ Ecclesiæ amplitudini comparari queat? Apostolus certe ad Romanos I. gratias egit Deo, quod fides, Romanorum annuntiaretur in universo mundo. Atqui nunc longe verius et plenius pervasit universum mundum (licet a quibusdam regionibus iterum recesserit, exigentibus id earum peccatis) et devenit deinde ad incognitas prius mundi regiones. Quam utique gavisus et confortatus in fide sunt Christiani, quando primum acceperunt imperatorem christianum, Constantinum Magnum? Sed quot ab eo tempore nos habuimus imperatores Christianos? Cognoscitis ergo verba Christi, quibus prædixit, evangelium suum prædicandum in universo mundo. Agnoscitis quadripartitam Christi vestem, id est, Ecclesiam, ut figuratam vult Augustin. tractat. XI. in Joan. in quatuor mundi partes extensam? Agnoscitis granum sinapis, quod ita nunc excrevit ut majus sit omnibus oleribus? Fermentum, quod jam pene fermentavit totum mundum? Cui amplitudini si jungamus unitatem, qua in unum conspirat, quod argumentum efficacius ad comprobendam Ecclesiam veram afferri potest? Quis enim dubitat longe mirabilius esse, si in iisdem fidei dogmatibus conspirent adamussim tot nationes a se invi-

cem distantissimæ, et sibi mutuo nunquam visæ, si quo in novo orbe, in Hispania, Polonia, etc. Idem ubique credant catholici, quam cum olim in paucis tantum locis id fiebat.

Comparete quæso vos, acatholici, Ecclesiam nostram, cum vestro grege, et videbitis Christum inter vos esse non posse. Primo enim, injuriam facitis Christo, qui Ecclesiam ejus in unum septentrionis angulum conjungitis. Quid fiet illis, qui sunt in Asia, Africa, America, et plerisque partibus Europæ, qui de vestra religione nihil audiverunt, nec audire possunt? Quomodo satis Christus providit mundo, si Ecclesiam suam in tantam angustiam addidit; ad hæc cum in uno angulo sit, quomodo in sectas tot divisa nihilominus est? Audi Augustinum, de agone Christi, cap. XIX. « Nec eos audiamus, ait, qui sanctam Ecclesiam, quæ unica catholica est, negant, per orbem diffusam, sed in illa sola Africa, hoc est, in parte Donati pollere arbitrantur. Ita surdi sunt adversum prophetam, dicentem: Filius meus es tu, ego hodie genui te, postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. » Ita Augustinus. Quid ergo dixisset et Lutheranis qui non orbis tertiam partem, sed angulum tantum unum incolunt. Deinde, qui fit, ut nullum adhuc imperatorem, consortem fidei vestræ a Deo obtinueritis, cum tamen tot Christiani imperatores extiterint? Cum enim fere plebs sequatur suum regem, quomodo per tot sæcula passus est Christus seduci cum imperatoribus populos?

Denique, cur non crescit, sed consistitis tam diu in ipsis vestris exordiis, imo jam in dies decrescere incipitis? Nonne fides apostolorum in sui exordio stupendum in modum crevit, et paucos intra annos per universum orbem annuntiata fuit? Cur vos non ad exterarum nationes pergitis, et fidem vestram dilatatis in orbem? Num forte in vos et Lutherum vestrum ea maledictio lata est, quam contra Rubem tulit Jacob: *Effusus es sicut aqua ne crescas, quia ascendisti cubile patris tui?* Gen. XLIX. Certe Lutherus effusus in voluptates carnis incestavit et violavit Ecclesiam Christi sponsam in Germania: quid mirum ergo si non crescat, sed potius decrescat. Aut fortasse quia non est vobis cura de conversione gentium, aut male credentium, sed potius de vestra cute a gladiis persecutorum tutanda, et domi bene curanda, de uxoribus et liberis et re familiari, etc.

V. Considera fructus Ecclesiæ, et videbis eam nunc longe præcellentiorum et ornatiorem, quam olim fuerat. Nam primo, longe major est sanctorum numerus in omni statu, conditione et sexu,

ex omnibus nationibus, regnis, provinciis, ducibus. Quis enim recenseat numerum sanctorum pontificum, cardinalium, episcoporum, abbatum, religiosorum, imperatorum et imperatricum, regum et reginarum, virginum ac mulierum? Deinde, quot præcones sancti, qui primi fidem catholicam invexerunt in mundum, uti in Germania per singulas dioceses? Rursum quam innumera et ditissima passim fundationes diocesum, monasteriorum, ordinum equestrum, hospitalium? Quanta ecclesiasticarum dignitatum auctoritas et honor? Quantus undique doctorum et doctissimorum librorum numerus? Quantus templorum ornatus et copia? Quantus sanctorum caeremoniarum decor? Quantum perfectionis studium in sanctis religionibus et confraternitatibus. Hæc et his similia tanto tempore videtis o hæretici, in Ecclesia catholica, et novistis eam esse arborem illam sinapis, quæ paulatim ita excrevit ex parvis initiis in ramos, id est, instituta ordinum et religionum; in folia, id est, scientias sublimissimas; in flores, id est, sanctos viros; in fructus, id est, studium perfectionis et operum heroicorum; in corticem sanctarum caeremoniarum, etc.

Et quid simile quæso, cernitis in vestris cæcibus? Nihil aliud, nisi quod ejusmodi decorem et fructus Ecclesiæ Christi exterminastis. In una Anglia dicuntur mille monasteria ab Henrico VIII. fuisse in profanos usus conversa, ut refert auctor libelli de schism. Anglic. Idem decem millia templorum profanasse dicuntur; juxta notum versum:

*Millia dena unus templorum sustulit annus.*

Sanctorum vere ne unum quidem proferre possunt, qui communi hominum judicio talis habitus sit. Neque enim alicujus sanctitatis indicia aut argumenta in aliquo demonstrare possunt: cum nullum apud eos sit perfectionis studium; nulla virginitas, nisi personarum quæ a nuptiis excluduntur, et ipsi prædicantes non tolerantur, nisi uxores ducant; nulla voluntaria obedientia; nulla paupertas nisi coacta.

Dignitas et honor personarum ecclesiasticarum plane apud ipsos periit: nec mirum quia laicos tantum et sibi similes pastores habent.

Libri eorum pauci et scabiosi, scommatibus tantum et mendaciis pleni sunt.

Sacri ritus in templis nulli. Eadem semper crambe quotidie apponitur in eorum templis: nulla festorum aliarumque solemnitatum varietas, unde et nulla devotio.

Illud vero intolerandum est; quod interim reformatores audire volunt, et religionem suam vocant reformatam: et quid est reformare? Nonne ad meliorem statum et arctiorem vitam recedere? Hocce fecerunt hæretici?

Quæ cum ita sint, non video quomodo nostri hæretici (modo aliquid sapiant) excusari de errore possint: cum in meridie cæcutiant: imo arbitror, comparatione illorum mitius fore hæreticis antiquis in die judicii, quam nostris, quia tam manifesta fidei argumenta illi non viderunt. Sed quid tandem est, quod in Ecclesiam non redeant, quam vident esse veram? Nimirum: *Confiteor tibi Pater, ait Dominus, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*, Matth. XI. Qui ergo parvulus et humilis non est, nec subjicit se Ecclesiæ, non agnoscet Christum. Antonio ostensus est mundus laqueis undique plenus, et abjectum solum humilem posse illos evadere: solus ergo humilis e laqueis evadet hæreseon.

#### CONCIO VI.

QUÆ BONA SINT IN COELO

I. Scientia beatorum. — II. Gloria. — III. Potestas. — IV. Libertas. — V. Pax. — VI. Gaudium. — VII. Securitas. — VIII. Voluptas varia. — IX. Securitas sine fastidio. — X. Abundantia. — XI. Dei gratia. — XII. Amicitia. — XIII. Pulchritudo. — XIV. Vita æterna.

#### THEMA.

*Domine, ostende nobis Patrem et sufficit nobis.*  
Joan. XIV.

Verni hujus temporis et omnis generis florum undique pullulantium amœnitas jure merito excitare non deberet, ut ad cælum suspirantes celestem amœnitatem oculo fidei contueri, et ardentibus desideriis optare deberemus. Est enim vernum tempus, et hortorum pratorumque amœnitas, qualis typus celestis beatitudinis, idcirco enim illa vocatur a Christo *paradisus*, id est, hortus deliciarum: idcirco ab eodem ætati comparatur, Luc. XXI. *Videte ficulnam, inquit, et omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas: ita et vos cum videritis fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.* Idcirco denique sanctissima illa Virgo martyr Dorothea, ab Apricio præfecto aliquamdiu torta, cum jam ad capitale supplicium duceretur: *Gaudete, aiebat, me ad sponsum pergere, cujus paradisus omnium florum ferax, amœnitas vernalis, quam dic-*

*possit, etc.* Quam cum Theophilus scriba irrideret, dicens ut sibi ex horto sponsi sui mitteret poma et rosas: spondit illa, et postquam martyrio defuncta est, misit ei de celesti paradiso brumæ tempore, per juvenem pulcherrimum, angelum videlicet, tria poma et tres rosas, tam mirifici odoris et coloris, ut eorum suavitate mox conversus, qui prius irridebat religionem Christianorum, postea prædicaret, et pro ea jugulum gladio submitteret, nihil jam ambiguus de illius paradisi pulchritudine, ut refertur in vita S. Dorotheæ, apud Surium, tomo I. Quoniam igitur nunc tecta fastidimus et in campos exspatiatur, ad contuendam veris amœnitatem, exeamus et nos, et rogemus Deum cum Philippo, ut nobis ostendere vel a longe dignetur flores et herbas illius magni prati, quod supra nos videmus.

I. Porro: florem unum lingua nostra *stellam* vocamus a stellari figura. Est sane hic in cælo, quia in beatis est scientia sine errore. Promittitur hic flos justis, Apoc. II. a Christo, ubi ait: *Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam*, hoc est, lumen gloriæ, quo anima post noctem hujus sæculi illustrabitur, ut omnia quasi in die clare videat. Ut exponunt Richardus Victorin. Primasius Aretas. *Quid enim non vident, qui videntem omnia vident?* ait S. Greg. II. moral. c. III. et S. Bernard. serm. de triplici genere honorum ait: « Si aliquid nos latuerit, numquid erit gloria consummata? Ideo nihil latebit nos, et ecce sapientia, qua curiositas hominis satietur. O sapientia, qua tunc omnia, quæ in cælo et in terra sunt, perfectissime cognoscemus, etc. » Quanta delectatio foret cæco nato, videre uno aspectu totius mundi pulchritudinem? Et quid erit, videre quæ in cælo, quæ in terra sunt? Hic certe pleræque palpando tantum velut cæci indagamus, et colligimus per discursum, unum ex altero arguentes: non videmus substantias in se, non differentias, proprietates, non vires, ac ne propriam quidem animam: ibi aperientur oculi nostri, et hæc aliæque omnia videbimus. Ut ergo per tubum perspective, nuper inventum obscura sunt manifesta, et minima fiunt magna, non sine stupore et admiratione perspicentium, ita erit in cælo, etc.

II. Alius flos dicitur *honoris gloria*. Hinc in cælo est honor et gloria beatorum. Ait enim apostolus ad Roman. II. *Reddite unicuique secundum opera ejus iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt vitam æternam*: et paulo post: *Gloria et honor et pax omni operanti bonum*. Similiter David Psalm. CXXXVIII. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est princi-*

*patus eorum*. Quod si amici Dei, quod si principes sunt, quanta est hæc gloria? Sed omnia superat quod Apoc. III. promittit Dominus vincentibus: *Qui vicerit, ait, dabo ei sedere in throno meo sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus*. Ingenti gloria affectus putabatur ab omni Ægypto Joseph, quando rex tulit annulum de manu sua et dedit ei, quando fecit eum ascendere super currum suum secundum quo a rege vehi solebat, Genes. XLI. scilicet secundum sed quanto majus est poni a Rege cæli in ipsiusmet throno, ipsiusmet manibus? Et si ita honorat in cælo sanctum aliquem ipse Deus, quomodo honorabunt eum angeli cæterique sancti? Videre possumus hujus gloriæ typum aliquem in terris; quis enim nescit, quanto in honore habeantur in terris sancti? Ipsi templi et dies festi dicantur, reliquiæ eorum religiosissime asservantur, nomina eorum in veneratione habentur, instituta et vivendi ratio ab innumeris sectatoribus retinetur, etc. Et si tantum honorantur in exilio et ubi non sunt, quomodo honorabantur in patria et ubi sunt? Honor quem nos mutas nobis tribuimus, exiguus et periculosus est; parum enim est ab hominibus laudari, et sæpe asinus asinum fricat, et alter in alterius gratiam mentitur: *Sed quem Deus commendat, ille probatus est*.

III. Ibi est flos, qui dicitur *potestas*, designans beatorum potestatem sine obsistentia. Hanc significat corona beatis promissa, Apocal. II. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ*: sic Apoc. IV. vidit Joannes coronas aureas in capitibus sanctorum, designat autem hæc corona regiam beatorum potestatem, qua nihil non potuerunt et velut reges dominabantur. Quod etiam dixit Dominus, Matth. XXV. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*: et Apoc. I. *Qui vicerit et custodierit usque ad finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget illas in virga ferrea*. Habent enim beati potestatem in dæmones, eos scilicet fugandi et coercendi, cum ad gloriam Dei hominumque salutem expedit: habent in peccatores, uti plurima exempla demonstrant, in quibus executores fuerunt divinæ justitiæ adversus et hostes suos. Eam vero communiter exercebunt in die judicii, cum venient ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, etc. ut dicitur Psalm. CXLIX. habebunt potestatem in creaturas; si enim in terris tantam habuerunt potestatem in creaturas, ut bestias domarent ferocissimas, elementis præciperent, etc. quantam habebunt in cælis? Ratio est, quia: *Cum amicorum omnia sint communia, idcirco Deus potestatem et opes suascum sanctis communicat, ait*